

falsis prophetis pro Apostolis, et: ad ueram et euangelicam fidem pro ueram euangelicam &c. Post Epistolam ad Hebraeos adscripta est eadem manu Spuria ad Laodicensis absque Glossa, et imperfectior, quam quidem edita a Fabricio in Cod. Apocr. N. T. p. 873. item caractere valde minuto per duas columnas Prologus quidam in omnes, ut videtur, Pauli Epistolas, qui incipit: In exordio epistolarum quedam sunt requirenda generalia et quedam specialia. Generalia sunt que spectant ad totum corpus epistolarum &c. Mox dicitur: Multe enim questionnes ut de matrimonio et electione pontificis hodie fierent, nisi ab apostolo soluendo forent preuente. Recentiora tempora haec respiciunt, cumque in Allegoria Jeremiae in lacum missi deinceps addatur: Adimelech eunuchus significat ordinem predicatorum qui dicuntur eunuchi quia semetipsos propter regnum celorum habendum eunuchizauerunt &c. fuscipatus sum Autorem ad

FF. Praedicatores pertinere, nihil tamen egi; neque enim *Thomas Aqu.* aut *Nic. Gorramus*, aut *Petr. de Tarentasia*, aut *Petr. de Palude* Commentaria sua in *Paulum* ita ordiuntur. Itaque rem in medio relinquo. Ultima Prologi hujus sunt: *Ad ultimum instruit de moribus et ita terminat tractatum suum uel epistolam.*

CV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 155
Folior. 266. f. sat bene ita perscriptus, ut angustiores columnas occupet Textus, latiores vero Commentarius. Est vero Textus *Epistolarum D. Pauli*, Commentarius autem e variis Patribus et Interpretibus, praecipue *Ambrosio*, *Augustino* et *Haymone Halberstad.* ad instar *Glossae ordin.* quae etiam delibatur, conflatus. Prooemium ita infit: *Sicut prophete post legem, sic et apostoli post euangelium recte scripserunt. &c* Subditi sunt hi versus *μνημονευτικοί*

*Romam prima, due post hanc uenere corinthum,
Quarta manet galathas et quinta fit ephefianis,
Sextaque philippis et septima missa coloffis.
Octauam nonamque tenent thessalonicenses.
Bina timotheum, thitum post una salutat,
Deinde philemoni, post paulus scribit ebreis.*

Adjecit in margine ridiculus interpres: Ad corinthos *gen chärnten zal.* Ad galathas *gen peraw.* Ad ephefios *gen türkey.* Ad phili-

penses *gen philips zal.* Ad coloffenses *gen gölczal.* Ad thessalonicenses *gen zalnek.* Expositionis ad *Rom.* initium est: *More scribenti-*

um epistolas premitit salutacionem, in qua commendans suam personam &c. Finis ad Philem. vero:

Hic intelligitur a roma scripsisse. Gratia sit cum omnibus vobis.

Amen. solamen sit sancti spiritus. amen.

Autor nullibi proditur.

CVI.

- R. 37 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. f. min. nitidissime exaratus, columna media angusta laxa ad recipiendam inter lineas glossam, margine utrinque lato notis inserviente, rubricis et literis initiorum cubitalibus deauratis, picturatisque venustus, et olim Congregationis S. Justine de padua deputatus usui fratrum sancti severini de neapoli, sed a Furcifero quodam improbissime habitus exfectis hinc inde, vel accisis foliis, continet D. Pauli Apostoli Epistolas cum utraque Glossa, ordinaria videlicet et interlineari. Deperiit Epistola I. ad Corinth. a C. VII. v. 22. II. tota, ad Galat. tota, ad Ephesios usque ad C. III. v. 18. Accisae sunt Ep. ad Philipp. a fine, ad Coloss. a principio; neque reliquis in totum pepercit infana stupiditas puerili, ut videtur, literarum auro coloribusque splendentium amore capta. Ita huic, quemadmodum multis aliis Codicibus, querelam illam adcommodes: *Forma fuit damno!*

CVII.

- Codex membraneus lat. Sec. U. 561 XIII. Folior. 42. 4. min. eleganter lineis laxis in medio paginae scriptus, glossarum adparatu minuscule exarato utrinque latera stipante, et etiam inter lineas recepto, quondam Job. Fabri Praefulus nostri, Apocalypseos Exemplum est, quod pag. 2. orditur, Prooemio pag. 1. occupante. Atque istud incipit: *Apocalypsis hec inter reliquos novi testamenti libros prophetia vocatur. sed aliis excellentior prophetiis &c.* quae totidem verbis legas in Bibliis glossatis, unde etiam reliquae Glossae per Operis decursum magnam partem depromptae sunt, et ita ad *Walafr. Strabum, Anselmum Laudun. et Nic. Liranum* pertinent. Sunt vero quaedam etiam aliunde adcita, ut ex L. VI. *Ambr. Ansberti in Apoc.* qui habetur *Bibl. PP. Lugd. T. XIII.* nomen *Genferici* scriptum literis graecis *Γεννηκος* habens numerum *Bestia*, id est DCLXVI. Ad calcem additur primo: *De Etatibus Hominis Observatio: Gradus etatis VII.*